

No. 916. 1425. 11. Mai.

*Probst und Capitel entscheiden einen Streit zweier Domherren wegen der portio dominicalis.*

Nos Johannes praepositus, Caspar decanus, totumque et generale capitulum specialiter ad hoc convocatum ecclesiae Misnensis — recognoscimus — quod alias quaestionis materia atque dissensione et controversia inter venerabiles ecclesiae nostrae concanonicos et confratres nostros, videlicet dominos Waltherum de Kokericz archidiaconum Lusaciae et obedientiarium dominicalis obedientiae alias episcopi Bennonis intitulatae, et Lampertum de Sehusen in decretis licentiatum, praebenda maiori et integra Haynensi vulgariter appellata — praebendum, de et super ministracione portionis dominicalis, quam idem dominus Lampertus iure sibi ministrandam ut alteri canonico integrato et emancipato petivit, exortis tanquam arbitratore et amicabile compositores matura capitulari deliberatione plurimoque tractatu praehabitis — ordinavimus — et arbitramur in hac forma, quod inantea inter partes omni dissensionis scrupulo sublato ac internae et verae amicitiae foedere reformato — debet ipse dominus archidiaconus sui que in eadem obedientia dominicali — successores ministrare praesentiam dominicalem integram ipsi domino Lamperto suisque — successoribus in praebenda Haynensi canonicis integratis et emancipatis, sicut alteri canonico integrato et emancipato — et quod obedientiae de aliquali restauro provideatur. Ex dicta arbitrari et capitulari nostra ordinatione comparabit ipse dominus Lampertus unum florenum Renensem annui census perpetui pro dicta obedientia annuatim solvendum, pro quo de bonis capituli nostri in villa Waynicz<sup>a</sup>) ad dictam obedientiam per procuratorem nostrum annuatim praestando iam solvit nobis — quindecim florenos Renenses. — Successor etiam primus ipsius in praebenda comparabit in augmentum dicti restauri unum florenum Vngaricalem annui census, quem infra tempus semestre a die emancipationis computando sine fraude et contradictione — tenebitur comparare, alioquin praesentiam dominicalem in poenam post lapsum dicti semestris temporis non habebit, sed capitulum recipiet in eventum. — Secundus vero post eum successor sedecim gr. similiter annui census usualis monetae Misnensis infra simile tempus semestre et sub priori poena — etiam comparabit. Quam quidem arbitralem ordinationem praedictae partes personaliter praesentes receperunt et de certa scientia emologaverunt et approbarunt. In quorum testimonium — praesentes litteras nostras dedimus eiusdem capituli sigilli appensione communitas. Datum et actum Misnae in loco capitulari anno domini millesimo quadringentesimo vicesimo quinto feria sexta post dominicam Cantate quae fuit undecima mensis Maii, praesentibus in dicto capitulo et nobis praeposito et decano, consedentibus venerabilibus et circumspicis viris dominis Nicolao Czigeler praeposito Wurczinensi, magistro Stephano Moir custode, Petro Sparnow praeposito Merseburgensi, Johanne de Malticz scolastico, Hermanno Radestok cantore, magistro Johanne Hofeman sacrae theologiae professore, praeposito

a) Wahnitz, Par. Leuben.